

instituta & integritatis imaginem ad vivum expressam contem-  
pleris. Me autem, qui huius libri autor sum, tibi multis de cau-  
sis deuinctum esse, non opus est, ego ut verbis tester: cum è re ipsa de  
sumpta testimonia satis probent. Nam ut proprias ac priuatas ra-  
tiones mei, ac maiorum meorum, erga te tuosq; maiores, præteream,  
siquidem compertum habes, non solum D. Antonium del Castillo  
Portocarrero fratrem germanum meum, tibi, sed parentes & auos  
meos, tuis clarissimis progenitoribus obsequio & obseruantia manci-  
patos fuisse: sanè cœnobium hoc Augustinensium Salmantica, cuius  
ego nomenclaturam & habitum, præ me fero tam multis titulis tibi  
astrictum est, ut piaculum ac scelus iugeus perpetrare me crederem, si  
alteri quàm tibi librum à me editum consecrarem. Etenim Cla-  
rissima & Christianissima illa Ducissa parens tua Maria, ingen-  
tem pecuniarum vim nostris fratribus Salmanticeis, pro construendo  
Collegio instituti nostri legauit ac dereliquit, quam tu nouissime  
petentibus religiosi, & habita facultate pontificis, in conuētus huius  
augmentum & amplificationem conuerti & commutari voluisti:  
& ipsum conuentum quàm plurimis alijs tua magnificentia & pie-  
tatis argumentis ditasti, & exornasti, videlicet, ut fratres eius soda-  
litij in tuum obsequium arctius deuinceret. Quæ præclarissima in  
nos collata beneficia dum anno superiori Magister Frater Grego-  
rius Elparenſis ordinis nostri tunc R. Generalis: nunc vero S. Ro-  
mana Ecclesia Illustrissimus Cardinalis hunc conuentum visitans  
& instituens cognosceret, Fratribus in eo commorantibus stricte  
inunxit ac præcepit, ut tui tuæq; domus ac familie incolumitatem  
& augmentum perpetuis orationibus à Deo exposcerent. Accipe er-  
go Amplissime & Magnificentissime Patrone, hoc licet exile & te-  
nue munusculum; per magnum tamen nostra erga te obseruantia &  
gratitudinis symbolum, & Deum Optimum Maximum preca-  
mur, ut te quàm diutissime seruet, & humanis ac diuinis donis  
quàm maxime afficiat & exornet. V A L E. E tuo  
hoc Salmanticeis. Augustinianorum conuentu  
Kalend. Martij. 1590.